Studien
zur
Geschichte der Theologie und der Kirche
herausgegeben von
N. Bonwetsch und R. Seeberg.
III. Band. 5. Heft.

D. Joannis Gerhardi homiliae XXXVI

seu

meditationes breves diebus dominicis atque festis accomodatae.

E manuscriptis Gerhardinis
ab
illustrissima bibliotheca Gothana
asservatis primum edidit

Georg Berbig.

Leipzig.
Dieterich'sche Verlags-Buchhandlung
Theodor Weicher
1898.

Studien

zur

Geschichte der Theologie und der Kirche

herausgegeben

von

N. Bonwetsch und R. Seeberg
Götingen. Erlangen.

Dritter Band. Heft 5.

Leipzig.
Dieterich'sche Verlags-Buchhandlung
Theodor Weicher
1898.

D. Joannis Gerhardi homiliae XXXVI

seu

meditationes breves diebus dominicis atque festis accomodatae.

E manuscriptis Gerhardinis

ab

illustrissima bibliotheca Gothana

asservatis primum edidit

Georg Berbig.

Leipzig.
Dieterich'sche Verlags-Buchhandlung
Theodor Weicher
1898.

REVERENDISSIMO

DOMINO

D. FELIX KRETSCHMAR,

SUMMO EPHORO GOTHANO

REVERENTIA

DESPONSUM.

Prologus.

In perlustrandis codicibus Gerhardinis a ducali bibliotheca Gothana asservatis in unum autographum incidisse videor, cujus argumentum si non plane incognitum tamen quoad ego scio in notitiam ecclesiae nostrae evangelicae nondum pervenerit.

Erdmannus Rudolphus Fischer quidem in vita Gerhardina, anno MDCCXXII Lipsiae edita*), omnium Joannis Gerhardi professoris S. T. Jenensis manuscriptorum recensione defunctus titulum huius codicis formae octipertitae commemorat: Homiliae seu meditationes breves diebus dominicis atque festis accomodatae.

Quantopere Gerhardus animum ad sincerae pietatis studium et exercitium intenderit, ex ceteris ejus libris moralibus in publicum saepissime editis satis novimus.

Jam initio anni MDCVI Gerhardus, nomen adhuc inter Academiae Jenensis cives professus, illum libellum: Meditationes Sacrae ad veram pietatem excitandam et interioris hominis profectum promovendum publicavit. Apud Fischer autem legimus, Gerhardum non eodem quo in publicum prodiissent anno demum illas meditationes litteris consignasse, sed jam anno MDCIII mense Decembris, quia tum auctor juvenis ingravescente ac durante morbo vitae suae finem instare ratus

*) cfr. Vita Joannis Gerhardi quam e fidis monumentis ad illustrandam Historiam eccleciasticam direxit Erdm. Rud. Fischer pp. Lips. 1722.

in testamento suo ad meditationes latinas in libello membranis vestito consignatas provocasset.*)

Sed intueamur codicem nostrum**), cujus inscriptio auctoris manu propria a fronte legitur: Meditationes Theologicae ad Doctrinam et veram consolationem.

Folio altero sequuntur meditationes sacrae contra mortis terrorem profuturae, numero XIX, quas omnes in illo libro citato paulo modo auctiores et quibusdam verbis mutatas videre licet.

Jam vero in codice nostro, a folio XLII usque ad folium LXXXVIII homiliarum exercitium seu meditationes breves legimus dignas adeo quae vulgentur. Nam diebus dominicis atque festis accomodatae scriptae sunt, ut jam Fischer annotavit, instar meditationum sacrarum beati auctoris impressarum. Incipit autem hoc exercitium a Dom. I Trinitatis et ordine successivo tractat textum evangeliorum S. dominicalium usque ad Dom. V Epiphaniae, quarum omnium meditationum numerus est XXXVI.

Verisimile est, Gerhardum etiam hasce meditationes diebus dominicis successivis conscripsisse Jenae adhuc civem academicum, ubi consilio de studio medico colendo mutato sese ad studium Theologicum contulit sub initium anni MDCIII, ut ex corporis medico animae medicus factus sit.

Quod ad fontes et stylum exercitii nostri attinet, auctorem non modo ex Sacris literis sed etiam ex Patrum scriptis, nominatim Augustini, Bernhardi, Anshelmi, Tauleri et aliorum hausisse satis elucet. Stylo in nostris quoque homiliis Gerhardus brevi, sed fluido ac plano atque artificis instar utitur.

Utinam hic Gerhardi libellus in oblivionem paene adductus, in sequentibus autem in lucem prolatus, utut auctor voluit, extinctae fere in hac frigidissima mundi senecta pietati *ὑπέκκαυμα*, tardis in via Domini *ὁρμητήριον* adderet!

---

*) In hoc testamento, a D. Cypriano bibl. Goth. asservato haec verba legimus: Referire mich auf meine lateinischen Meditationes, welche ich in ein pergamen büchlein in 8 tavo zusammen geschrieben, und soll der Trost, welcher darinnen verfasset, mitten im Tode mich erhalten etc.

**) Codex sub Lit. Chart. B. No. 894 a bibl. ducali Gothana continetur.

Dominica I Trinitatis.

Domine Jesu pauperes omnes sumus in conspectu tuo: pauperes in operibus, pauperes in persolvendo peccatorum debito. Quomodo infima nostra paupertas summas illas aeternae gloriae divitias promereri posset? Quomodo extrema nostra indigentia maximum illud peccatorum debitum, quod iure haereditario ad nos perlatum, peccatis propriis insuper auximus, persolvere posset? Tu Domine Jesu infinitis gratiae tuae beneficiis inopiam nostram sublevasti, cumque dives esses, pauper pro nobis factus es, ut per tuam paupertatem aeternarum divitiarum participes redderemur. Pauperes sumus Domine, da ut pauperum piorum vitam imitemur, superbia procul sit ab omni opere et cogitatione nostra. Quid enim nostrum est, propter quod superbire possimus? Nihil nostrum est propter peccata nostra, haec ex diabolo et ex nobis: bona enim et dona omnia ex solo Deo, non ex nobis. Domine Jesu custodi animam meam in hoc malitioso seculo, ne veniat in locum tormentorum, custodi me Deus et largire mihi quaecunque ad aeternam salutem noveris profutura: paupertatem sanctam illam patientiae magistram libenter perferam, ah Domine Jesu quid dico perferam? tu da ut perferre possim si eam salubriorem et ad aeternam vitam aspiranti commodiorem iudicas. Ecce servus tuus ego sum, fiat mihi in omnibus secundum voluntatem tuam, neque solum servus sed potius filius et amicus, hoc enim honorificentissimo et dulcissimo nomine nos pessimos et degeneres dignaris. Ah Domine, pater es, paternum geris animum, quomodo ergo non dares quae scis profutura, eruditio, ignorantia, divitiae, paupertas, sanitas, morbus, vita, mors, laeta et tristia,

omnia in manu tua, tu distribuis unicuique, distribue et mihi servo et filio tuo quae scis mihi utilia fore: hoc solum peto et in eo me exauditum iri certissime scio, adsis mihi spiritu tuo Sancto in hora mortis et sanctos Angelos quaeso mitte ut animam meam in sinum Abrahae transferant. Veni Domine Jesu veni cito ut moriantur in nobis peccata nostra et quicquid in nobis tibi displicet. Amen.

Dom. II post Trinitatis.

Domine Jesu quam misericors et quam bonus es qui me immerentem ad aeternae vitae coenam vocari voluisti et hanc meam vocationem firmam reddis promissionibus dulcissimis in Evangelio mihi propositis et maxime in sacrosancto Caenae tuae mysterio, quod vere mysterium est, communionem in ea corporis et sanguinis tui fieri certissime credo; qualis autem illa sit, nondum penitus agnosco, arctissimam eam esse scio et cum Johanne gloriari audeo: Ex eo cognoscimus ipsius dilectionem, qui de Spiritu suo dedit nobis: neque enim solum beneficia tua mihi donas et applicas, sed etiam teipsum animae meae donas et me potius tibi inseris: surculus enim sum tuae massae. Sic enim ex Augustino didici, qui cibus sis grandium, non mutabo te in me, sed tu mutas me in te. Quaeso solum fidem in me auge; haec enim salutare illud medium, per quod tibi iungimur, tibi unimur, tibi inserimur, ita ut caput nostrum sis. Siquidem omnes membra sumus unius corporis Ecclesiae, ideoque magnum hoc mysterium est de Christo scilicet et Ecclesia. Erige te, anima mea, nec terrena haec coelesti convivio praeferre velis: omnia tibi sit Christus quia Christus revera omnibus omnia est. Amen.

Dom. III post Trinitatis.

Perditus ego Filius redeo ad te Domine Jesu, oro suppliciter: recipe me. Non sum dignus vocari filius tuus, non sum

dignus locum habere inter sanctissimos tuos filios. Peccavi, pater peccavi in coelum et coram te, peccata mea ad infernum me deprimunt, sed tu Domine Jesu quaere servum tuum, quaere filium perditum et trahe eum ad te. Neque enim ad te redire et propriis viribus surgere possum. Sine te nihil possumus facere, tu me quaere et inveniar, converte me et convertar ad te. Utinam verae poenitentiae primitias solum accipere possem, utinam solum ingemiscere possem super peccata mea. O Domine Jesu libera animam meam ex inferno, dona mihi verum tuae misericordiae gustum, quin etiam veram et gravissimam tuam iustitiam et horrendum adversus peccata iudicium doce me. Sed tu Domine ut iustus es et iustum tuum erga impaenitentes iudicium; ita quoque misericors nimis et multae miserationis super omnes, qui peccata agnoscunt. Dominus noster mitis est et salvator, ideo delectaris miseri peccatoris conversione, delectantur eadem omnes Angeli et chori caelestium. Quaeso Domine Jesu effice in me illud, quod tibi placeat, quod te delectet. Da quod iubes et iube quod vis, praecipe et effice, iube et opera in me quod tibi placeat. Ecce ego servus tuus et filius ancillae tuae, ecce miser ego vermiculus terra sum et cinis, tu autem me filii nomine et amici appelatione dignaris. Potestatem dedisti filios Dei fieri qui credunt in nomen tuum: sed opus Dei est fides nostra, ideoque eam in me effice Deus meus, adauge mihi fidem, credo Domine, sed opem fer incredulitati meae.

Has lachrymas, haec Christe tibi suspiria mitto.

Dom. IV post Trinitatis.

Domine aeterne Deus qui ante iacta mundi fundamenta elegisti nos in Christo supplex oro ne permittas me tentationibus de aeterno tu decreto absorberi in barathrum inferni, consolare me Spiritu Sancto tuo, qui me certum reddat de aeterna tua electione. Ah Domine Jesu credo qui sim in vitae libro scriptus quia credo in te Domine Jesu, credo te peperisse aeternam iustitiam et vitam. Tu autem liber es vitae, tibi

inserimur per fidem; quicunque igitur in te credit, in vitae librum scriptum se esse noverit. Cui enim ex aeterno Dei decreto obtigerunt salutis media, Uerbum et Sacramenta, Fides et Spiritus Sanctus, huic quoque finis ipse fidei, nostra nimirum aeterna salus donabitur. Ah Domine Jesu dedisti nobis arrham haereditatis nostrae, nimirum Spiritum Sanctum. Ego vero illius praesentiam et operationes non semper animadverto, quia in peccatis totus sum conceptus, in peccatis vivo, in peccatis dormio et vigilo atque interdum sciens volensque ad peccata festino. Scio autem Domine Jesu, quod Spiritus ille non habitet in anima immunda, sed tu Domine munda me, purga sordes peccatorum. Unde enim nostra mundities, unde nostra iustitia, unde est, ut tibi placere possimus, nisi ex te et ex Spiritu tuo? Nemo venit ad te, nisi pater traxerit illum. Tu trahis nolentes et repugnantes quia bonum velle et desiderare non possumus, imo nec cogitare, quomodo voluntati nostrae occurrere possis. Tu igitur in pectore meo hospitium tibi praepara. Nihil sanctum extra tuam sanctitatem, nihil extra te bonum, quod tua bonitas non efficit bonum. Tu es omnium vera Salus, Domine, tu es, qui omnia in bonitate et sapientia tua valde bona creasti. Sine te nihil boni scio in seculo. Quare Domine Jesu maiestatem tuam suppliciter adoro, quia firmiter credo, nihil boni esse absque tua bonitate, nihil magni absque tua magnitudine, neque durans absque tua duratione, neque potens, sine tua potestate, neque sapiens sine tua sapientia, neque diligens sine tuo amore, neque virtuosum sine tua virtute, neque verum sine tua veritate, neque gloriosum sine tua gloria, neque iustum sine tua iustitia: scio etiam quod tu hominem mirabiliter creasti, mirabilius redemisti, sanctificasti. Illumina, renova, sanctifica, recrea, vivifica, iustifica, glorifica me, ut fiam vas misericordiae tuae, organum Spiritus Sancti, plantula paradisi, columna coelestis Jerosolymae, quam Splendor gloriae tuae illuminabit et domicilium Sacrosanctae Trinitatis in aeternum. Amen.

Dom. V post Trinitatis.

Domine Jesu qui totus miraculosus, mirabilis in persona, mirabilis in officio, mirabilis in beneficiis, mirabilis in operibus. Cur quaeso miracula tua me terrerent, quae propter meam et omnium hominum salutem in hoc mundo operatus es? Imo fidem meam languidam erigunt et confirmant. Miracula enim tua de te testantur, qui in unitate personae sis verus deus et homo. Divina certe facere id Dei est. Quomodo ergo me terrere poterint tua miracula? Neque cum Petro dico: Discede a me Domine, quia peccator sum, sed potius: Veni ad me, veni Domine, quia peccator sum, qui, si namque peccatum non haberem, utique non tam anxie te desiderarem. Clamas namque o misericordissime Jesu: venite ad me peccatores. Vicissim ego clamo: veni ad me Domine, ut possim venire ad te, o Domine Jesu, veni, veni ad me ut ad patrem venire possim, ad quem nemo venit nisi tu traxeris illum. O benignissime Jesu, in tuo nomine laxabo rete vocationis meae. Tu labores meos tua gratia praevenire et subsequi velis ut ad tui nominis gloriam et proximi mei salutem cedant. Amen.

Dom. VI post Trinitatis.

Attende anima mea quam gravia a te requirat coelestis pater in lege sua sanctissima. Quando quaeso utcumque quintum praeceptum, ut Christus explicat, perfecte servasti? Qui enim peccat in uno factus est reus omnium. Neque in uno peccavi, sed in omnibus, ideo omnibus annexa me maneret maledictio. Si reus aeternae mortis, qui solum contra unicum praeceptum peccavit, quid fiet omnium reo? Circumspice anima mea, an ullas in te vires reperire possis, quae huic obedientiae et perfectioni satisfaciant? Malum quidem in me invenio, bonum autem omne procul ab oculis meis. Sed respondet in corde meo Spiritus Sanctus: Christus est impletio legis. Qui credit in eum iustificatur. Nulla igitur condemnatio, nulla lex, nullus terror in his est, qui sunt in Christo. Lex nihil iuris

in Christum habet, quia purissimus et sanctissimus homo est qui praestitit perfectissimam obedientiam et reatus multorum solvit. Lex nihil contra Christum, Christus autem fide meus est et ego in Christo vivo, igitur lex contra me non habet quicquam. Sublatum est legis chirographum et Christi sanguine deletum. Quanta nobis Deus praestitit, quis vel verbis vel cogitatione hunc amorem Christi assequi possit aut exprimere. Deus erat et coelo descendit, homo nascitur, est miser, pauper, despectus, fragilis, impotens, mortalis, quid enim aliud homo, imo fit maledictio, fit peccatum, derelinquitur a Deo, anima ipsius tristis est usque ad mortem, dolores inferni comprehendunt ipsum. O abyssum miseriae in nobis, misericordiae in Christo!

Dom. VII post Trinitatis.

Promissio est Evangelica Domini nostri: Quaerite primum regnum Dei et omnia adiicientur vobis temporalia. En tibi vivum atque verum illius exploratum. Quod illic verbo docetur, hic opere praestatur. Quod istic auribus significatur, hic oculis observatur et cordi obsignatur. Beatum nimis doctorem qui dicit et perficit: potentem nimis Deum qui promittit et praestat: misericordem nimis patrem qui videt et auxiliatur. Plebecula haec caelestia quaerit et invenit, imo plus quam quaerit invenit, coelestia quaesiverat, una cum coelestibus etiam terrena invenit. Sic vere Christus nobis omnia et omnia nobis in Christo. Calamitates nostras intelligit ex humanitatis affectu, calamitates sublevat ex divinitatis effectu: illic misericordia humanitatis, hic vero altitudo divinitatis. — Tantus erat appetitus spiritualis in hoc populo, ut carnalis hominis sui oblivisceretur. Animae ad veros israelis fontes perductae salvificum invenerant pabulum, ideo de corpore sollicitae non erant. Utinam caelestium rerum desiderium in nobis quoque contemtum terrenorum efficeret. Utinam interioris et spiritualis hominis ardor carnalis et exterioris desideria si non extingueret, saltem reprimeret. Atque hac in parte mirari licet veteris et novi foederis convenientiam. Quod vetus in mysterio et typis proponit, illud aperte et reipsa novum

exhibet: Israeliticus populus ex Aegyptiaca servitute liberatus, desertas Lybyae oras peragrabat fame et siti tamen non enectus. Dominus igitur Manna de coelo pluit atque tot millia exsaturat: hic vero spiritualis Israel ex plusquam Aegyptiaca traditionum humanarum caligine liberatus in deserto est. Coelo igitur descendit verum Manna eumque exsaturat. Illic corporum cibus est, hic vero etiam animae. Illic obtinebatur cum murmure, hic vero cum silentio et audiendi studio. Illic umbra, hic vero res ipsa. Sed enim adhuc hodie vero illo manna quotidie vescimur. Qui miraculose inter manus et oculos suorum panes fabricavit, idem illud hodie efficit, sed per media materiae: dat nobis Deus de rore caeli et pinguedine terrae. Fons enim Domini irrigat terram et pedes stillant pinguedinem. Consuetudine vilescunt tot miracula, dicebat Augustinus. Quomodo autem cibos corporales corporibus, ita spirituales animabus distribuit. Quanti enim illud aestimandum, qui idem suo corpore et sanguine nos pascit. Verbum enim Domini est: Hoc est corpus meum: hic sanguis meus. Verbum Domini est ideoque non tam verbum factum, verbum Domini est ideoque spiritus et vita. Verba enim quae locutus est nobis, spiritus fuerunt et vita. Absit igitur carnalis intellectus, ubi quaeritur spiritualis affectus. Absit desiderium oris et ventris, ubi datur cibus mentis. Quid autem sportulae illae in quibus cibus reponitur? nimirum ut ibi in sportulis ita hodie in scripturis caeleste manna proponitur. In scripturis inquam et sacramentis videndum tangendum atque esitandum exhibemus, sed in spiritu atque ergo etiam in veritate. Sic enim scriptura: in spiritu et veritate cibus ille terrenus erat et ore comedebatur: sic vero spiritualis et caelestis ideoque spiritu comeditur. Intelligenda autem haec omnia de salutari Caenae usu; indigni enim Sacramentum, non vero rem Sacramenti percipiunt.

Dom. VIII post Trinitatis.

Seplasiarios illos Pseudomedicos qui morbos in reditu habent et per mortes experimenta faciunt omnes execrantur et fugiunt, neque id immerito, sunt enim vitae humanae calamitas

et Libitinae praesides. Verum falsarii Doctores, qui limpidissimos Israelis fontes traditionum et superstitionum humanarum caeno conspurcant, tantum abest, ut eam experiantur fortunam, ut potius in honore et favore constituti maximo cum applausu audiantur et manibus tum non gestentur. Conqueruntur ea de re graviter Prophetae omnes et omnium temporum experientia a primis Ecclesiae incunabulis usque ad hanc effaetam et marcidam eiusdem senectutem luculentissime idem attestatur. Causa huius rei solis in Ecclesiae gremio emetritis patet, ex cuius doctrina spiritualis ignorantiae tenebras non didicimus, accepimus, legimus, sed ex ipsa corrupta natura arripuimus, hausimus, expressimus, ad errores non docti sed facti, non instituti, sed imbuti videmur, ut in re diversa Cicero loquitur pro Mileto. Inde etiam, ubi quaeritur doctrinae coelestis puritas nusquam periculosius erratur, nec laboriosius quaeritur, neque fructuosius invenitur. Omnium nihilominus humanorum bonorum facile primum et praecipuum vera Dei cognitio cum pietate conjuncta. Sed enim cum thesaurum istum feramus in vasis fictilibus (2 Cor. IV, 7) nec majus aut perniciosius ei impendat periculum quam a coelestis doctrinae falsariis, ideo Dominus nobis quia illius in nos misericordia, quia animus illius salutis nostrae cupidissimus, graphice eos depingit et suis coloribus exprimit. Quid enim est, quod venire eos dicat nisi quod iniussi nec a Deo missi sese ingerant? Mittuntur quidem sed ab eo, qui Spiritus mendax erat in ore Prophetarum. Currebant et non mittebat eos Dominus conqueritus (Jer. 14, 14). Quomodo igitur Domini verbum annunciabunt, ad quos verbum Domini non est factum? Scilicet hominum salutem se desiderare hoc adventu spontaneo simulant hostes et vitam se afferre praetendunt latrones animarum pessimi. Veniunt autem non armati sed ovium vestibus induti. Vestimenta ovium sunt blanda. Simplicitatem ovium praetendunt et haeresin pietatis specie obumbrant. Adest ergo simulata locutio, simulata conversatio, simulata operatio. Quamvis autem sermones eorum molliunt super oleum, tamen ipsi sunt spicula. Simulata ovium simplicitas lupinam tegit feritatem. Quomodo autem rapacitas illa in intimis cordis penetralibus abscondita haereticos ostendit? nimirum licet occultis tamen haud obscuris violentiae cuniculis

ex altera parte Ecclesiam oppugnabunt: sanguinolenta seculari brachio consilia suppeditabunt, illis gladium occisionis et minarum tradent: sibi hamatas blanditias et moderationis speciem reservabunt. Sicque erunt duo gladii illic, unus dolosae persuasionis alter violentae occisionis. Semper enim Ecclesia Cainica est sanguinaria, cum enim nemini bono unquam placuerit saevire in haereticum neque ad sanguinem. Fides est suadenda, non imponenda. Neque religionis est religionem cogere. Vulpeculae vastantes vineam capiantur quidem, sed argumentis, non autem armis. Ea enim pura veritas quae ad sui defensionem nihil aliud quaerit. Atque hac ratione ex fructibus eorum cognoscemus eos, neque seducet nos fictitiorum miraculorum phalanx, qua etiam instructi accedent. Adversus enim mirabiliarios illos cautos nos fecit Dominus, quia praedixit miraculis eorum etiam electos si fieri posset seductos iri.

Te igitur Jesu qui pseudoprophetas proprio instinctu adventare vitae sanctimoniam simulare, lupinax rapacitatem occultare, praestigiis sua somnia confirmare monuisti, te inquam ut discretionis spiritum quem nobis et omnibus petentibus promisisti, largiaris, oramus supplices.

Dom. IX post Trinitatis.

Quid nostrum est, quod non acceperimus? Omnia scilicet a Deo nobis data, sed ad bonum et usum data sunt tanquam inquilinis et vasallis usufructuariis, data sunt omnia tanquam rationem reddituris. Habitamus in hoc mundo tanquam in aliena domo. Administratores sumus eorum, quorum nos possessores nos iudicamus non tam donata quam mutuo data. Negotiemur igitur donec veniat Dominus et probe negotiemur neque talentum curae nostrae traditum abscondamus. Quid est talenti occultatio nisi donorum nostrorum in res profanas et impias collocatio? Quin potius ad tabernaculum Domini afferat unusquisque nostrum, si non aurum et argentum, tamen vellera et lignum. Sit prima nostra cura ut Christum quaeramus mente pura. Quid est talenti occultatio nisi officiorum

aliis praestandorum denegatio? Magna eorum lucra, ideo illas bonae negotiationis merces quotidie inferamus in armariolum conscientiae. Panis quem tenes famelici est, tunica quam servas nudi: indigentis aurum quod possides humatum. Illa pecunia servatur quae in manu pauperis collocatur. Illam in expensi tabulas recte referimus et ad iudicium afferimus. Haec scientes, beati si fecerimus. Reddenda enim ratio in morte scilicet et iudicio sed praesertim in iudicio. Aperientur ibi libri. Mysterium hoc est, quia in Apocalypsi tot Sacramenta quot verba. Aperietur primum liber vitae. Quis ille nisi liber vitae agni, qui occisus ab origine mundi. Beatus qui in eo scriptus invenietur, stagnum ignis non attinget. Aperientur etiam libri conscientiarum secundum quos iudicabuntur mortui, id est eorum opera ipsorum. Illae ipsae sua debita et pessimae administrationis expensas exproment. Cui multum datum, de multis rationem reddet. Qui expertus donantis Domini magnam misericordiam, sentiet iudicantis severam iustitiam. Quanto maiora beneficia, tanto maiora iudicia. Boni autem dispensatores gratiae Dei et servi super pauca fideles intrabunt in gloriam Domini sui.

Dom. X post Trinitatis.

In Christo Solymarum interitum cum lachrymis pronunciante quid prius mirabimur, an miserantis bonitatem, an praedicentis veritatem, an punientis severitatem? Vere enim hîc magna misericordia. Vere in altissimo et securissimo bonitatis monte latet fons, unde manat fluvius ille lachrymarum et misericordiae. Lachrymae enim doloris legati et anxii cordis nuncii: ibi cordis compressio et mentis compassio. Haec igitur sint peccantium portus. Quomodo enim cum lachrymis et cordis compunctione ad se venientes repelleret, cum ipse propter eos, qui venire noluerunt, lachrymas effundat? Illam ipsam poenam quam certo secuturam noverat, praedicit, illos ipsos quos impoenitentes fore praeviderat, ad poenitentiam hortatur, idque cum lachrymis, quia non concupiscit poenam reorum tanquam saturari desiderans

ultione, dolet potius cum hominem per suam iustitiam damnare debet, propter ipsius iniustitiam, quia nobiliter creatus et preciose redemtus. Ideoque dissimulat peccata hominum propter poenitentiam, neque ex corde affligit homines. Verum ut beati sunt, quorum causas Deus iurat et infelices, qui iuranti Deo non credunt, ita beati nimis quorum causa Christus lacrymatur, sed infelices, qui lachrymis istis non moventur, quia misericordia et ira cum ipso. Mirabile iustitiae et misericordiae temperamentum, adeo ut qui Deum noluerunt cognoscere per beneficia, sentiant eum per supplicia. Testantur illud omnes mundi historiae: testatur interitus Sodomae et ad poenitentiam invitat spectabili documento, poma enim ibi nata contactu fatiscunt. Testatur id perpetuum Judaeorum exilium et graviter punita eversae urbis coepta instauratio. Christi igitur lachrymae emolliant corda nostra, ne quos culpa pares invenit, coniungantes etiam in poena, nisi dissimiles nos reddat vera paenitentia, haec relicta est secunda naufragii tabula. Haec reserat quia peccatum claudit. Haec probata peccantium medela, ad hanc inclinet cor nostrum Dominus.

Dom. XI post Trinitatis.

Ascenderunt duo homines ad templum. Ascendamus etiam nos ad templum Dei sanctum, sedem et thronum Dei in coelesti Jerusalem. Ascendamus autem non pedibus corporeis, sed mentis affectu. Ascendamus inquam per orationem. Quid enim est oratio nisi mentis ad Deum elevatio? Quamvis altum sit coelum a terra, Deus tamen audit linguam hominis qui habet puram conscientiam. Quale autem templum in illa civitate? Dominus Deus omnipotens et agnus. Coram eo igitur non compareamus vacui sed afferamus aliquid de nostris. Quid nostrum propter peccata? Cetera Dei sunt, a Deo et ad Deum qui sua dona coronat, non nostra merita. Peccata igitur quae nostra sunt aperiamus, ut ipse operiat, detegamus, ut ipse tegat. Neque vero in infirmitate nostra comparere vereamur. Excelsus enim Deus est, sed humiles animae nostrae ipsius sedes. Quando igitur aegrotus

morbum fateri erubescit, et nos nostra delicta. Sin vero vis esse alienus a gratia, iacta tua merita. Quid enim iustitiae nostrae nisi pannus menstruatae. Quis igitur iustitias suas velut gloriabundus ostentaverit Deo plus quam pannum confusionis suae mulier viro? Quid bonorum opera lucra nisi turpissima *σκύβαλα*? Quod si in humanis oculis vita nostra non omnino munda, quid fiat in iudicio Dei, cuius oculi ipso sole lucidiores, qui abyssum cordis scrutatur? Atque alia sunt ipsius iudicia, alia hominum. Quoniam igitur ad unum omnes rei coram Deo, sola reatus illius agnitio a reatu nos liberabit, si tamen iungatur peccati tui cognitio. Tunc coram Deo aliis erimus dissimiles, si nosmet caeteris similes ut etiam inferiores iudicabimus: melior enim in malis confessio quam in bonis superba gloriatio.

Dom. XII post Trinitatis.

Praesens sanati surdi miraculum Dominus meus etiamnum hodie perficit, sed in spiritu. Ipse aperit labia nostra ad Dominum compellandum. Quando enim oramus Deo loquimur. Ipse aperit aures nostras ad divinum sermonem percipiendum. Quando enim legimus, loquitur nobis Deus et auditu verbi aperitur salutis ianua, quemadmodum iisdem fenestris dum patuerunt Satanae, mors admissa est. Ut autem confert linguas paratas et aures apertas ex sola atque solida misericordia, ita eadem misericordia viscera ad gemitum ipsum cogunt. Miraris cur ingemiscat Christus? Teipsum respice, cur te gemitus atque lachrymarum causa residet. Cogitat enim primum peccati reatum. Lavamini, inquit Dominus. Ergo peccatum foeditas est: Sane me, Domine, clamat Propheta. Ergo peccatum animae morbus. Coram me iniquitas mea, clamat idem Psalmista. Ergo peccatum adversarius est et nostri accusator. Eramus in peccato mortui, clamat idem Apostolus. Ergo peccatum mors est. Quid enim boni in peccato, cum sit aversio a bono incommutabili? Quid non in eo mali, cum sit ad summum malum conversio? Cogitat inferni cruciatum. Momentaneum enim est impios quod delectat, aeternum quod cruciat. Fumus

tormentorum ascendet ab aeterno in aeternum. Vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur. Post annorum centum mille millia revertentur sine fine rediviva tormenta. Ibi erit ignis, erunt tum etiam tenebrae; ignis erit quidem, sed separabitur claritas in gaudium sanctorum, remanebit virtus adustiva in tormentum damnatorum. Quamvis autem tum exteriorum tum interiorum sensuum poenae erunt innumerae, tamen Deum non videre superat omnia Gehennae supplicia. Cogitat denique animus hominis obstinatum, quem non permovet peccati gravitas, neque infernalis poenae aeternitas. Corporis interitum immane quem horrent omnes, quia occulis videatur corporeis, animam vero morientem, quoniam nemo videt, pauci credunt, paucissimi formidant. Quando igitur Christus propter nos gemuit, cur non toti in gemitus atque lachrymas abire precemur?

Dom. XIII post Trinitatis.

Primus noster parens ad honorem erat elevatus maximum quia ad similitudinem Dei factus. Haec imago erat conformitas cum archetypo: mentis, voluntatis et cordis puritas. Neque enim e suo gremio terra profudit hominem ut cicadas, neque Angelis illud formationis munus inunctum sive Diis minoribus, sed ad imaginem suam fecit eum ipsemet conditor addito immortalitatis privilegio. Unde divinis manibus divinum plasma formatum, cui etiam vitae spiraculum inspiratum. Haec animarum nostrarum origio maxime dignissima, unde eam non quidem frustulum divinae essentiae dicimus aut divinae particulam aurae: spiritualem tamen et ad imaginem Dei factam essentiam credimus. Ex aeterno enim et spirituali Dei ore nihil nisi aeternum proficisci potuit. Haec igitur *μεγάλου ἔστι ἄημα θεοῦ* atque idem Dominus qui Adamo animam inspiravit. Idem etiam nostris corporibus eandem infundit. Illa quoque dignitas hominis non contemnenda, quod in ipsius formatione sacrosanctae Trinitatis sacrosanctum instituitur consilium. Elevatus ita erat homo et in voluptatis hortum collo-

catus, sed descendit, velut ex alta dignitatis sede, velut e coelo lapsus. Quare descendit? Quia nescivit, quid faceret? Absit. Quia coactus ut faceret? Absit. Sed quia placuit ut sic faceret. Cumque virtutum et obedientiae exercitiis altius ad Deum ascendere nollet, ideo descendit et in latrones incidit. Quis ille dignitatis nostrae praedator, nisi inobedientiae suasor et impulsor? O nequam nequam, ubi est tuum nequaquam, ecce omnes morimur. Quid jam de nostra possibilitate praesumitur, vulnerata, sauciata, vexata, perdita est. Vestimento enim salutis exutus et semimortuus relictus est, denique mortuus et congelatus est ad bonum vivus atque vegetus ad malum, mortuus est homo interior, vivit et efficax est exterior. Spiritualia bona penitus amissa, naturalia corrupta. Ecquis vero vulnerati et exanimis miseretur hominis? Immundiciem hanc interiorem non abluunt aspersiones Iudaicae, aut Typica sacrificia, ideo Levita praeterit: ipsa quoque lex divina morbum potius detegit, quam tegit, potius manifestat, quam sanat, ideo Sacerdos praeterit. Lex magis imperat, quam iuvat, per eam namque peccati agnitio, ideo salus miseretur Samaritanus. Quis ille sit, ipsimet Iudaei testificari poterunt, videlicet Dominus noster Jesus Christus? is licet virga de radice Jessae et leo de tribu Juda, tamen Samaritanum se appellare maluit. Factus est ex semine David secundum carnem, ethnicorum proprius est secundum spiritum, ex Judaeis secundum carnem natus, in his vero quotidie secundum Spiritum nascitur, sicque Japheth habitat in tabernaculis Sem. Positus est Christus lapis offensionis in Sion, sed gentes ipsi adhaerent. Hic igitur Samaritanus vulneribus infundit primo vinum compunctionis deinde oleum laetitiae, hoc est efficacem Spiritus S. consolationem ut ita Dominus mortificet et vivificet, ad infernum ducat et reducat. Haec salutis nostrae via est, sin magis compendiosam desideras: Christus.

Dom. XIV post Trinitatis.

Nomen Salvatoris nostri Christi mirabile. Mirabilis enim est in persona. Tria mirabilia mirabilissima, Deus et homo,

Virgo et mater, Fides et cor hominis. Verbum caro factum est, quod sine controversia magnum pietatis mysterium. Verbum infantiatum est et factus est capax Deus. Creatus est propter nos creator, serviit Dominator, venditus redemtor, humiliatus exaltator, occisus vivificator. Rorarunt coeli desuper et germinavit terra Salvatorem. Mirabilis etiam in officio. Exinanivit semetipsum in forma Dei constitutus et formam servi assumsit. Quemadmodum mustela Basilicum interficit et veluti Ichneumon tuto se abvolvens in Crocodili fauces insilit atque viscera erosa perrumpit: ita Christus humanae fragilitatis luto sese induens divinam abscondit maiestatem, ac infernalem delusit Crocodilum. Mirabilis in beneficiis, neque enim omnibus unum, neque uni omnia donat, omnibus dat sine discrimine utilia, nemini denegat necessaria. Mirabilis in administratione regni, mirificat enim Deus sanctos suos, mortificat atque vivificat, ad infernum ducit et reducit. Mirabilis denique in operibus. Quam enim admirandum hoc ipsum miraculum sanatorum leprosorum. Attende primum exaudientis misericordiam. Antequam clamarent, audit eos. Sicque multo alacrior Deus ad dandum, quam nos ad accipiendum. Non est in partu mulier tam promta salutis. Quin velit ad dandum promtior esse Deus. Quidni exaudiret, antequam clamemus, cum coelo descenderit, antequam desideraverimus. Qui potiora dedit, minora non negabit. Aut dabit id quod petimus, aut illud quod utilius. Attende etiam praecipientis omnipotentiam. Quamvis non miror, quod ad unicum verbum lepra cesserit, cum ad nutum ipsius totus mundus contremiscat. Qui Naturam sine labe creaverat, huic facillimum erat, Naturam labe commaculatam expurgare. Qui corpus hominum sanum atque integrum in utero formavit, huic in proclivi est morbosum restituere. His igitur divinae misericordiae et omnipotentiae fulcris innitatur fides nostra, ad haec Domini latera sancta confugiat precatio. Solum quae sine conditione unicuique nostrum promisit, ea sine conditione unus quisque exposcat, videlicet spiritu alia. Quae vero promisit cum crucis exceptione petamus parce et modice, addita semper clausula illa: Domine si vis. Fiat Domine voluntas tua benedicta in saeculum. Amen.

Dom. XV post Trinitatis.

Non sitis solliciti anima aut corpore vestro inquit Veritas. Quodsi igitur usum et curam bonorum corporalium scire desideras, adi hoc tribunal veritatis. Utere mundo sed non te capiat mundus. Si affluunt divitiae, nolito cor apponere. Sin vero diffluunt divitiae et frangitur baculus panis, iacta cogitatum tuum in Dominum et ipse te enutriet. Spera in Domino et pasceris in divitiis eius. Oculus enim Domini super metuentes eum, ut alat eos in fame. Non sitis solliciti vitae vestrae, inquit Via. Mundus sane periculosior est blandus quam molestus. Divitiae sudorem pariunt in acquirendo, timorem in possidendo, dolorem in amittendo. Spinae sunt semen Dei sanctum suffocantes, sed ecce viam per spineta haec et salebrosa fecit nobis Dominus usum corporalium permittens, sollicitudinem prohibens. Divitiae enim ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis. Et peccatur in eis ferme quattuor modis, aut iniuste acquirendo, aut indebite expendendo, aut nimis ardenter amando aut avare retinendo. Non sitis solliciti animae aut corpori vestro inquit Vita. Sic ergo vivamus in hoc mundo ut memores simus mundi alterius: neque sollicitudo corporalis remora sit ardoris spiritualis: Sit prima nostra cura quaerere Christum mente pura. Sed cur non ipsis Christi verbis nos excitemus, ut primo quaeramus regnum Dei eiusque iustitiam et adiicientur nobis omnia. Adiicientur inquam et erunt *προςεθηκῶς παρεισάγματα* veluti vestis pulchre textae quaedam complementa: chorum ducat homo interior et spiritualis quem exterior pone sequatur et longe a tergo vestigia pronus adoret.

Dom. XVI post Trinitatis.

Naim amoenus et delectabilis est, sed in pulchro illo loco deformis mors dominatur. Neque enim arcium firmitatem neque corporis sanitatem neque dignitatis maiestatem quicquam respicit Mortis imperium. Pamphaga est et insatiabilis nullius precibus flectitur, sed iuxta cytharae illius sonum *πάντας*

χορεύειν δεῖ. Properat cursu vita citato, volucrique die rota praecipitis vertitur aevi. Festinat decurrere velox flosculus angustae miseraeque brevissima vitae. Ut herba solstitialis paulisper sumus. Abeunt haec vana et nos abimus. Quid aliquis? Quid nullus? umbrae, somnium hominis. Mortalis haec vita mortis expectatio, ludibriorum scena, miseriarum mare; hoc aevi spatium palmo non longius uno. Omnes enim tendimus ad umbras, mors aequo pede pulsat, regumque turres pauperumque tabernas. Quos pecunia separavit, mors certe aequabit. Adventantem mortem neque precibus neque precio neque verbis neque verberibus abigere poteris.

Sed enim a morte terribilium omnium terribilissima deflectamus oculos nostros et obviam venientem Christum agnoscamus. Quod si nos deprimit mortis trucidentia, erigat vicissim Christi potentia. Si terret mortis amaritudo, age lignum aliquod benedictum nobis ostensum, quod eam vertat in dulcedinem, surculum illum ex stirpe Isai progerminatum. Surculus ille Christus est, cujus sermonem si quis servaverit, mortem non videbit in aeternum. Quod si igitur plena oneris vita, utique finis eius allevamentum; allevamentum autem bonum mors, mors autem finis, mors igitur bonum. Mors piorum finis est malorum, non homo, sed miseria hominis Christiani moritur. Quid vita hominis? miseria. Quid totus mundus? miseria. Hanc finit sola mors et ad gaudium coeleste deducit, vitam enim morte lucramur. Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me desperare iubes? Veniam quibus ille revenit calcata de morte viis. Profectio igitur est, quam mortem putamus: non exitus, sed transitus; transitus e vivis, vitae coelestis origo. Nostros igitur non amittimus, sed praemittimus, brevi scilicet secuturi, sed pede inaequali. Nostri non moriuntur, sed oriuntur, non recedunt, sed praecedunt, non obitus est, sed abitus. Ideo mors benedicta interitus, quia interveniens et mixtarum rerum connexionem resolvens. Moriuntur nostri, hoc est desinunt peccare, desinunt iactari, desinunt miseri esse. Moriuntur in fide, hoc est ex umbra vitae discedunt, ut ad veram vitam transeant, ex tenebris, ut ad lucem, ab hominibus, ut ad Deum.

O beatum illum diem, o felicem illam horam, quae ex hoc turbulento mundi pelago ad portum tutissimum nos deponet.

Certe enim portus et perfugium nobis paratum in morte, quo utinam velis passis pervehi liceat. Evolemus, evolemus ex hac vita, exclamat Monica, Augustini mater. Nunc dimittis servum tuum, Domine, exclamat Simeon: dimitti cupit tanquam corporeo ergastulo inclusus. Dissolvi cupio et cum Christo esse, exclamat Paulus, dissolvi cupit tanquam terrenis fecibus alligatus.

Quid igitur? Accipiemusne vestes atras, cum illi sumserint indumenta alba? Num lachrymis et gemitibus nos propter eos macerabimus, cum Deus ab oculis illorum omnes lachrymas abstergat? Num lugebimus et in moerore nostro labores nobismetipsis creabimus, cum illic neque luctus, neque dolor, neque clamor ultra sit? Et requiescant a laboribus suis? Num flebilem propter illos extollemus vocem, cum illi coram agno cantent canticum novum, habentes cytharas et phialas aureas? Lugeamus igitur cum modestiae decoro, ne indignemur Domino, qui postquam non abstulit, nisi quae dedit, sua recepit, nostra non abstulit. Quantum prosit exire de saeculo, ostendit Christus, qui cum discipuli eius contristarentur, quia se recessurum diceret, respondit: Si me diligeritis, gauderitis utique.

Sin igitur te navigante turbida et procellosa tempestas fluctibus vi ventorum excitatis praenuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat et labitur et ruinam sui non tam senectute rerum sed fine testatur, et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis quod exitu maturiore subtractus ruinis et naufragiis et plagis imminentibus exuaris. Voluntati suae conformem faciat nostram Dominus Jesus.

Dom. XVII post Trinitatis.

Mysterium sine controversia magnum quod Deus manifestatus est in carne, manifestatus autem per miracula, quae suas habent linguas. Maximum quidem Dei beneficium Christum in carne apparuisse, aeque vero magnum miraculorum magnificentia ipsum inclaruisse. Quia igitur duplices hominum morbi, corporales et spirituales, ideo descendit coelo magnus medicus,

quia magnus in mundo iacebat aegrotus. Qui peccata animae nostrae morbos in se transtulit, corporales etiam aegritudines sanare non est dedignatus et perinde non Jureconsultum, non Philosophum, non Rhetorem sese professus est, sed Medicum. Utraque enim medicina tam corporis quam animae a Deo est. Cum ergo ad Deum spectet humani corporis formatio, et temperies ad eundem spectet necesse est eius conservatio et refectio. A Deo igitur omnis medela confert quidem utplurimum sanitatem per media ut ita medicinae, quemadmodum praecepit, honor deferatur, elucet tamen *τὸ θεῖον* in morbis.

Atque ex his corporalem Medicum esse Christum constat, sed enim ab eo etiam spiritualis medicina. Postquam enim hydropysin corporalem sanaverat, ad curam hydropis spiritualis accedit. Omnia habemus in Christo, omnis anima accedat ad Christum quia Christus pro nobis omnia. Si vulnera curare desideras, medicus est; si febribus aestuas, fons est; si gravaris iniquitate, iustitia est. Neque quisquam miretur superbiam hydropi comparari. Hydropicis certe quo plus sunt potae plus sitiuntur aquae. Ita quoque si adjicias superbiae honores et dignitates ex quibus primum orta, magis morbum auges quam minuis. Omnia vitia in malefactis tantum valent sola superbia etiam in recte factis cavenda. Nunc quidem sub veste humanitatis se occultat, nunc formam gerit iustitiae, nunc pietatem fingit. Ex intemperantia iecur perfrigeratur unde hydrops. Ita quoque ex primorum parentum inordinata cupiditate progerminavit hoc superbiae malum atque omnium animis innascitur. Tumor iste totum genus humanum occupavit. Primo habuit ortum in coelo, quoniam Lucifer contra Deum intumuit, ideo superbia est Naturae coelestis et ideo viros coelestes aliquando invadit. Deinde de coelo veniens in Paradisum ivit et ibi primos parentes invasit. Ex Paradiso venit in mundum et modo per totum mundum iste morbus superbiae est perfusus. Hydrops praesertim confirmatus periculo non vacat. Ita superbiae malum maximum trahit periculum. Scelerum fons est et vena nequitiae. Omnia vitia fugiunt Deum, sola superbia se opponit Deo. Luciferum praecipitavit ex coelo, primos parentes eiecit ex Paradiso. Quomodo igitur superbus homo coelum sperare poterit, cum superbus

Daemon coelo eiectus sit? Denique ἀσιτίᾳ atque inedia curatur hydropisis atque inde vulgatus medicorum aphorismus, servos potius quam liberos a hydrope liberari, quia famem, sitim, et mille alia taedia desideret. Ita succurrat nostra fragilitas, indigentia et miseria contra hunc superbiae morbum. In nullo gloriandum, quia nihil nostrum est. Nemo se palpet, de suo Sathanas est, id unde beatus est, a Deo tantum habet. Ad sanctam humilitatem inclinet cor nostrum Dominus et fluenta suae gratiae ad nos derivet, quae deorsum non sursum fluunt.

Dom. XVIII post Trinitatis.

Doctus in regno coelorum similis est patrifamilias qui profert de thesauro suo vetera et nova. Verba haec Salvatoris nostri, qui coepit facere et docere. Neque enim sic inflectere sensus humanos edicta valent quam vita regentis qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Unde non solum Verbi verba sunt nobis documenta, sed etiam Verbi facta sunt nobis exempla. Praecipit igitur salvator noster vetera et nova proferre, protulit etiam ipse: authenticus enim Pontifex noster est. Quid vetera sunt et nova, nisi veteris atque novi foederis testamenta? Res ubique eadem, beneficia eadem, applicandi modus differt. Foedus divinae gratiae ubique idem, cuius mediator Christus est, sed differunt ritus foederis et promissae gratiae signacula. Quid vetera sunt et nova nisi Legis et Evangelii doctrina, per quae tota religio Christiana rectissima? Doctrinas hasce qui accurate et exacte discernere novit, is theologum se iudicet optimum et perfectissimum. Lex divina naturaliter cordibus insculpta et promulgatione demum renovata. Invisibilia enim Dei per ea quae facta sunt cognoscuntur neque solum scriptura sed etiam creatura ducit ad Dei cognitionem. Hic scilicet liber ille quo salutariter utebatur ad divinam cognitionem Antonius Eremita, neque ipse solum in Ecclesiae nutritus gremio, sed alii etiam in tenebris adhuc et regione umbrae mortis ambulantes. Ex fabrica enim humani corporis divinam sapientiam, bonitatem, et potentiam didicerat.

Haec etiam doctrina Legis vitam promittit et justitiam, sed obedientiam prius requirit non eam qualemcunque sed perfectam et omnibus numeris absolutam. Non enim auditores, sed factores Legis iustificabuntur. Sed enim cessante conditione cessat promissio conditionalis, unde etiam Moses ad promissam terram Canaan, quae typus erat hereditatis aeternae Israeliticum populum non adducebat. Ita etiannum hodie lex Mosaica neminem solvat, infirmitatem Naturae nostrae non tegit, sed detegit, non quid simus, sed quid esse debebamus docet. Magis imperat, quam iuvat, iubet quae non possumus, ut noverimus, quid a Deo petere debeamus. Imperat igitur lex ut impetret fides quod imperatum erat per legem. Maledictus omnis qui non servat omnia, quae scripta sunt in libro legis. Cogitatio autem cordis humani pronus ad malum omni tempore. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Ex operibus igitur legis non iustificabitur omnis caro apud Deum. — Sed haec erant vetera, iam vero omnia nova sunt. Concluserat Deus omne sub peccatum, et totus mundus reus erat coram Deo; sed misertus vicissim nostri filium misit sub lege factum ut eos qui sub lege erant redimeret. A saeculo absconditum erat illud mysterium filius qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis. Quia primis parentibus et omnibus eorum posteris de humani generis reconciliatione concionatus est, interpres ille divinae voluntatis et magni consilii Angelus. Ipse igitur divinae misericordiae penetralia nobis aperuit quod nimirum ex indebita gratia debitus poenas remittere velit. Gratis dare vult quia nihil invenit unde nos solvit. Iamque finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Laus tibi Domine Jesu qui aequalis patri particeps factus mortalitatis nostrae, non de suo sed de nostro, ut et nos efficeremur participes divinitatis tuae non de nostro merito, sed tua gratia et dono.

Dom. XIX post Trinitatis.

Quid facilius dicere: dimittuntur tibi peccata an dicere, surge et ambula? Utique Domine Jesu: Quod si enim peccatum

animae morbus, periculosiora sunt animae vulnera, quam corporis mala. Ego deleo iniquitates tuas dicit Dominus. Ergo peccata nostra conscribuntur in coelesti curia. Averte faciem tuam a peccatis meis, petit Propheta. Ergo ponit Deus iniquitates nostras in conspectu suo. Convertere ad nos Domine Moyses orat. Ergo peccata dividunt nos a Deo. Peccata nostra responderunt nobis. Ergo accusant nos coram tribunali divinae iustitiae. A peccatis meis munda me. Ergo peccatum turpissima foeditas coram Deo. Quod si omnes iustitiae nostrae sicut pannus menstruatae quid iam erunt nostrae iniustitiae? Si legis opera sunt vilia reiectamenta, quid erunt reatus nostri crimina? Quicunque peccaverit mihi, delebo eum de libro meo, dicit Dominus. Ergo propter peccata ex vitae libro delemur. Ne proiicias me a facie tua, petit Regius Propheta. Ergo propter peccata nostra a Deo proiicimur. Spiritum sanctum tuum ne auferas. Ergo peccatis ex templo cordis nostri Spiritus S. eiicitur; sicut fumo apes fugantur et columbae foetore. Redde mihi laetitiam salutaris tui. Ergo peccata animum augunt atque cordis succum exhauriunt. Terra infecta est ab habitatoribus suis qui transgressi sunt legem. Ergo peccatum contagiosum et venenum. De profundis clamavi ad te Domine. Ergo peccatis ad infernum deprimimur. Qui enim peccat contra conscientiam, aedificat gehennam. Per lethale peccatum homo amittit Deum. Deus autem incomprehensibile bonum. Ergo Deum amittere incomprehensibile bonum et infinitum malum. An non igitur maxime periculosa sunt istaec animae vulnera, quid contra corporis morbi? More omnium calamitatum et ipsis qui perferunt et spectatoribus utiles, utrique enim redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo. Sicque morbus corporis medicina efficitur spiritualis. Corpus aegritudine affligitur, anima pietate erigitur. Quod si periculosiores animae quam corporis morbi, utique medela eorum difficilior. Maius Deo est (si quid tamen magnum est Maximo) ex impio pium facere, quam coelum et terram creare, ibi enim habet resistentiam scilicet voluntatem hominis pravam: in creatione autem nihil resistens habuit. Ideo potuit homo persuasione veteris serpentis imaginem Dei deformare, non autem potuit reformare. Licet per se peccet, tamen per se a peccato non valet surgere.

Proinde solus Deus remittit peccata auctoritate propria. Sed contra corporis mala vires quasdam rebus creatis indidit; illae tamen ipsae nonnunquam plus quam alias valent ob Numinis gratiam et inferioris mundi influentiam. Prima enim causarum Deus est, ut ipse motum exorditur ita movent caeterae: sanat tamen rarissime citra ullam causarum naturalium admotionem. Omnis nihilo minus curatio etiam per naturalia activa et passiva ad ipsum tanquam auctorem referenda, qui uti Naturam condidit, ita eadem utitur. Quod si periculosiores animae quam corporis morbi, utique medela eorum praestantior. Benedic ergo anima mea Deo qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates nostras. Christus animae et corporis Medicus benedictus in secula.

Dom. XX post Trinitatis.

Gaudens gaudebo in Domino et exultabit anima mea in Deo meo, qui induit me vestimentis salutis et indumento iustitiae circumdedit me tanquam sponsam ornatam monilibus. Gaudeat Ecclesia et exultet propter honorem et amorem sui sponsi. Honor illius omnino maximus, quia Jehova est, verus Deus benedictus in secula unde etiam speciosus forma prae filiis hominum, quod de dilecto animae sponso Propheta praedicat qui in forma hominis ipsum aspexerat, Deus in excelsis. Utique speciosus, quia videbant gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre, splendebat facies eius sicut sol, vestimenta erant sicut nix, in ipso namque habitabat plenitudo divinitatis *σωματικῶς*, personaliter scilicet, et secundum unionem hypostaticam. Unde etiam in ipsa Natura humana divinitatis refulgent radii, caro namque in Deitatem evecta in consortium inquam sanctissimae Trinitatis. Quis hanc unionem unitissimam vel verbis vel cogitatione assequitur? Quis dotes illas et *ἐξοχὰς*, quas in unione et per unionem accepit caro nostra et sanguis noster ad dextram Dei regnans, inde nimirum omnis in ore decor claraque in luce refulsit os humerosque Deo similis; namque ipse decoram Caesariem nato genitor, lumenque iuventae

purpureum et laetos oculis afflarat honores. Diffusa etiam gratia in labiis eius. Vere diffusa; non enim Spiritum accepisti ad mensuram, sed unxit te Deus tuus, o Deus, oleo laetitiae plus quam consortes tuos. Perinde scriptum habet in femore et vestimento suo, Rex regum et Dominus dominantium. In capite ipsius diademata multa, quae habent nomen scriptum quod nemo novit, nisi ipse. Sublimitas illius maiestatis mentes nostros offuscat et obruit: atque ita apparuit, honorem sponsi esse maximum: aeque vero magnus ipsius amor erga sponsam Ecclesiam. Induit eam vestimentis salutis et iustitiae, cum in sordida peccatorum tunica et turpissimo iniquitatis panno misera iaceret, dedit illi ut cooperiret se byssino splendenti et candido. Byssinum iustificationes sunt sanctorum. Vere descendit magnus Samson et ex Philistaeis sibi quaesivit sponsam. Descendit Dei filius et sponsam sibi elegit ex damnatis et aeternae morti adiudicatis. Proiecti eramus super faciem terrae in abiectione. Cum igitur inimici essemus, patri suo nos reconciliavit per se, ut nos conjungeret sibi. Vidit nos conculcatos in sanguine nostro, nudos et confusione plenos, sed lavit nos aqua, lavacro mundavit nos regeneratione sanctissimo, emundavit sanguinem nostrum suo scilicet sanguine; quia sanguis Domini nostri Jesu Christi emundat nos a peccato et a sanguinibus nos liberat. Torcular vini furoris irae Dei omnipotentis ipse calcavit, unde rubrum est vestimentum eius et indumenta eius sicut calcantium in torculari. Spoliatus etiam veste terrena, ut indumento immortalitatis suae nos vestiret. Unxit nos oleo misericordia scilicet et gratia; quando enim David praedicat: impinguasti oleo caput meum statim subiicit, misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae. Vestivit etiam sponsam suam discoloribus, calceavit hyacyntho, cinxit bysso et subtilibus, adeo ut decora facta nimis, et perfecta in decore suo. Sed enim omnis gloria eius ab intus, unde in Spiritu istaec dicta, in spiritu etiam audienda, videlicet de iustitia et salute et muneribus gratiae. Armillas etiam dedit et inaures, reliquit arrhabonem Spiritus, arrhabonem carnis ab eadem accepit. Spiritus enim Sanctus sponsalis est arrha. Hic salutis nostrae pignus, qui illo caret, salutem non habet; denique similam et mel et oleum dedit ad comedendum ut fieret decora vehementer nimis, spon-

sam suam carne et sanguine proprio pascit ad vitam aeternam. Illic vere adest species panis, veritas carnis, virtus gratiae spiritualis. Hoc pacto Christus sponsus noster exhibuit sibi ipse Ecclesiam gloriosam, sanctam et immaculatam, ut ita soror sit quia ex uno patre, sponsa quia in uno Spiritu. Beati igitur qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt. Haec verba Dei vera.

Dom. XXI post Trintatis.

In lectione hac fidei gradus atque incrementa proponuntur. In ipso ortu nihil statim existit maximum; maxima vero fidei dignitas, ut etiam inter singulariter mirabilia et mirabiliter singularia connumeretur. Mirabiles etiam et stupendae eius operationes. Quid igitur fides sit, quae eius Natura, quive gradus, scire expedit. Fundamentum fidei est Verbum et fides respicit Verbum, unde spirituale quoddam oritur coniugium, nec fides sine Verbo, nec Verbum sine fide esse debet. Quo sensu recte fides copulativa dicitur, caritas egressiva. Quod si coniugium esse debet, requiritur consensus: consensus esse nequit sine notitia, ideo etiam fides ex verbi notitia. Notitia est ex lectione, meditatione, divina inspiratione, maxime vero auditione. Interdum etiam miracula verbo addita introitus ad fidem. Praesens enim Regulus Cananaeo aquae in vinum versae miraculo interfuerat; miraculo istoc prima fidei scintillula in corde Reguli accensa, quam calamitatum procella in flammam quandam concitavit. Crux enim fidei exercitium est et ad Christum manuducit. Ecce secundum fidei gradum. Eiusdem etiam fidei beneficio, qua ad Christum accedimus: auxilium eius imploramus. Fides orando impetrat. Ecce tertium gradum. Fides etiam constanter petit, constanter quaerit, constanter pulsat, novit mores atque moras Christi. Neque enim incepisse sed perfecisse, virtutis est. Ecce quartum gradum. Elevatur demum supra sensus et rationem omnes verbo innixa soli. Neque enim fides habet meritum, ubi humana ratio praestat experimentum. Quid est tua fides, si tantum credis quae vides? Judai-

cum omnino verbum est: Quomodo? Ecce gradum quintum; quem sequuntur divinorum operum annunciatio et grata bonitatis divinae praedicatio, aeternae demum vitae haereditatio. Sola namque iustificat fides, quod contra Tridentini Concilii sessiones docuerunt et defenderunt Christus et Patriarchae, Prophetae et Apostoli, Ecclesiae primitivae Patres, nostrae doctores, docebunt idem et defendent omnes electi.

Dom. XXII post Trinitatis.

Offerebatur Domino servus qui debebat decem millia talentorum. Magna omnino nostra debita, quia magna Dei erga nos beneficia. Peccamus facto, peccamus verbo, peccamus cogitatu. Cogitationis quidem paenam nemo patitur ex Edicto Imperat in humano iure scilicet soli, sed aliud est ius poli. Peccata sunt commissionis, sunt etiam peccata omissionis. Non sufficit abstinere a malo, nisi fiat, quod bonum est. Facere dicitur malum, qui cum bonum facere potuerit, praeterit; ideoque si pauperem non pavisti, occidisti. Paria sunt aliquem occidere, vel ei alimenta denegare. Peccata sunt non solum actualia, sed aliud adhuc originale, unde in peccatis nascimur, ut potius peccata. Non quod peccatum sit nostra substantia, sed quia totalis substantiae nostrae corruptio. Sicut modicum fermenti totam conspersionem, parum aceti totum preciosi vini dolium, unicus peste infectus totam interdum civitatem corrumpit, ita peccatum ubi in unum incurrit Adamum totam humani generis Naturam, quae in uno illo erat miserabiliter infecit, atque ex eo in sinu nostro saevissimum fovemus anguem. In hac debiti nostri magnitudine ne simus securi, quia provocatores ad tribunal divinae iustitiae non sinent nos esse securos. Compellit primum ad divinum iudicium legis scientia, in ea namque virtutum divinarum relucent radii, et imago exsculpta est exactissima. Lex instar speculi lucidissimi omnem immunditiem nostram clarissime ostendit. Peccatum itaque cognoscimus per Legem. Compellit nostra conscientia: Haec enim codex in quo peccata nostra quotidie conscribuntur. Haec

syllogismus practicus est accusans vel excusans nos. Haec instar mille testium, haec index et iudex. Compellit calamitatum frequentia. Saepe namque punit Deus occultiora delicta per flagella manifesta, ut qui Deum voluerunt cognoscere per beneficia, sentiant ipsum per supplicia. Compellit etiam mortis violentia. Anima ex corporis ergasterio discessura, memoratur omnia sua opera et coram coelesti curia cum tantis debitis apparere veretur: maligni spiritus egrediente anima opera sua requirunt, ultima etiam dies de hominis felicitate decernit. Compellit denique severa extremi Iudicis sententia. In eo iudicio manifestabuntur omnia impiorum opera, neque solum opera, sed etiam verba, neque solum verba, sed etiam cogitata. Minutissimae cogitationes, quae apud nos viluerunt, indiscussae non manebunt. Quis nostrum de aetate totius vitae redditurus rationem, quo nimirum modo usus bonis animi, corporis, fortunae? in quas res impenderit dona Naturae et gratiae? Non licebit ibi excipere, neque replicare. Reus condemnabitur, nec dicetur Quare. Quid igitur? Quomodo digne nos praeparabimus ante quam divinum istud dicasterium accedamus? Provolvamur in hac vita ad pedes Domini supplices et gratiam petentes, modo enim misericordia audit causas et iustitia exercet ferias. Quod si aliquando in extremo iudicio, ubi iustitia audiet causas et misericordia exercebit ferias, iustitia sibi satis factum voluerit. Offeramus ipsi Christum, qui quod non debuit persolvit, ne qui debebant persolverent.

Dom. XXIII post Trinitatis.

Quae Caesaris sunt, Caesari, quae Dei Deo. Distribuamus officii nostri partes atque munia, a Deo toti sumus. Deo igitur totos nos debemus, ei totos nos impendamus: offeramus ei sacrificia spiritualia. Orationem quasi spirituale tributum anima offert Deo de visceribus suis. Cor contentum, cor humiliatum, cor fidele gratissima sunt Deo sacrificia. Sed enim in quibusdam hominibus etiam aliquid Dei, quos debito honore non defraudemus, honorabimus autem verbis, gestibus, operibus. Ne-

que enim religio nostra Magistratuum atque superiorum reverentiam destruit, sed erigit. Christi leges politias non evertunt; sed obedientia quae maioribus praebetur, Deo exhibetur. Adsit ergo obedientia sed determinata et certis limitibus circumscripta. Si quid contra Deum, contra veram fidei doctrinam, contra bonos mores praecipitur, obligatorium illud non est. Quemadmodum enim, quod male iuratur, peius praestatur, ita quod male praecipitur, peius perficitur.

Neque veretur Christianus parentum, coniugum, liberorum amorem in Christi causa exuere, cum illos omnes propter Christum amet. Non veretur confessione veritatis offendere Dominos in terris cum recognoscunt superiorem aliquem in coelis. Ipsorum etiam imperium exteriorem concernit hominem, huic imperent, huic leges praescribant, huius impetus coerceant; interior soli Deo servit, interiorem solus Deus agnoscit, nec intolerabilior ulla Tyrannis quam dominari velle conscientiis. Quae igitur Caesaris sunt Caesari, quae Dei sunt Deo inviolata atque intemerata conserventur.

Dom. XXIV post Trinitatis.

Puella tibi dico surge. Quod hic peregit Christus, in statu suae exinanitionis illud aliquando gloriosius perficiet in statu exaltationis. Ipse namque erit causa efficiens, forma et finis resurrectionis omnium nostrum. Expergiscentur qui habitant in pulvere terrae, quia audient vocem filii Dei. Qui tam facile a morte suscitare potest, sicut homo potest alium a somno excitare. Ideo etiam mors somnus est. Dic mihi quomodo obdormiscamus et dicam tibi quomodo moriamur. In somno quiescant externa sensitoria, cor autem vigilat, maxime vero anima: ita piorum mors ablatio solum animae, non abolitio. In statum inquam meliorem transpositio et ex corporis ergastulo liberatio. Expergefacti alacriores sumus ad obeunda nostra munia; ita reddentur aliquando nobis corpora glorificata gloria scilicet resurrectionis innovata. Ubi vult spiritus, ibi sum protinus, erit et corpus. Corpus namque erit spirituale immortale, incorruptibile. Huius nostrae resurrectionis, quae fiducia

est Christianorum, consolationem non docet Philosophia neque etiam ullum in corde hominis remanet ossiculum corruptionis expers, resurrectionis principium, sed sola Christi potentia, solum et unicum eius principium. Resuscitationem ad vitam et gloriam concedat nobis misericordissima Christi benignitas.

Dom. XXV post Trinitatis.

Lugebunt in extremo iudicio omnes fines terrae. Vere formidabilis dies iste qui de aeterna aut felicitate aut damnatione omnium nostrum decernet. Error enim Chiliastarum, a quo nec Origenes liber est, iam pridem ex ecclesia relegatus, neque etiam purgatorium aut lymbum statuimus. Non est ullus ulli medius locus ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo, tertium locum penitus ignoramus, imo nec esse in scripturis sanctis invenimus. Vere igitur formidabilis dies iste, ubi nullus poenitentiae locus, nullus satisfactionis effectus. Hic quaeritur vita, aut amittitur. Vere formidabilis dies iste, quemadmodum enim Dei benignitas apparuit in hac vita ultra omnem spem, ita ultra omnem expectationem similem vereamur iudicii districtionem. Infinitus Deus et immensus Deus in misericordia, infinitus etiam et immensus in iustitia. Tremendus erit ille iudicii dies, quia supra iudex severus, subtus erit patens infernus, interius conscientia mordens, exterius ignis ardens, a dextris peccata accusantia, a sinistris daemonia terrentia. Fugere cupient damnati, sed quo fugient a facie Domini? Montibus dicent, opprimite nos, sed frustra, quia montes colliquescunt a facie Domini, coelos ad commiserationem acclamabunt sed tabescet omnis militia coelorum et complicabuntur sicut liber coeli magno transient impetu, sicut vestimentum veterascent. Solem et Lunam vocabunt supplices, sed erubescet Sol et confundetur Lunae. Tempus poenitentiae sibi dari flagitabunt, sed praeteriit tempus aeternitatis, infinita restabunt spacia. Vitae promittent emendationem, sed tempus emendationis praeteriit, hic enim est remissio quam poscimus, ubi peccatorum commissio. Misericordiam Christi implorabunt, sed misericordiae tempus

praeteriit, forum iustitiae incipit, ubi iustitia audiet causas et misericordia exercebit ferias. Proximum egentem pascere desiderabunt, sed nemo erit in coelo, qui dicat, pasce me vel pota me, quia inebriantur torrente voluptatis. Proximum nudum vestire desiderabunt, sed nemo illic invenietur nudus, ubi vestis est immortalitas. Proximum peregrinum suscipere desiderabunt, sed nemo illic erit peregrinus, ubi omnes sunt in patria. Proximum aegrotantem visitare desiderabunt, sed nemo illic erit infirmus ubi sanitas est sempiterna. Proximum mortuum sepelire desiderabunt, sed nemo illic moritur, ubi mors erit mortua. Praeteriit igitur tempus boni faciendì, praeteriit tempus ponenitendi, fons misericordiae exaruit, fores gratiae occlusae, neque quicquam restabit nisi severum iudicium, severior iudicii executio, severissisma impiorum damnatio. Haec male qui pavet, cavet, qui negligit incidit. Tu Christe dignos nos effice, ut coram facie tua digni compareamus, quia sine tua dignitate nihil in nobis dignum. Amen.

Dom. I Adventus.

Venienti occurite Christo.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Vere benedictus quia venit non solum ad nos sed etiam propter nos. Vere magnis encomiis celebrandus quia venit Salvator. Ad primos parentes venerat reductor, afferens mortem et damnationem, iam vero advenit salvator afferens vitam et salvationem. Quod in Adamo periit, in Christo rediit. Quem Diabolus persuadendo deiecit, eum Dominus liberando salvavit, servitus in initio, libertas in ultimo, luctus in principio, gaudium in postremo, in primo mors, in novissimo vita, in exordio interitus, gloria in supremo. Vere igitur salutaris Christi adventus, modo promtus sit erga venientem affectus. Lucebat aliquando haec lux in tenebris, sed tenebrae eam non comprehenderunt. Venit aliquando Christus in propria sed sui eum non receperunt. Ruina igitur praecedentium admonitio debet esse sequentium. Venienti Salvatori occuramus alacriter et devote. Primum dispergamus coram

Christo nostra vestimenta. Venit adhuc Christus, visitat nos adhuc Christus, sed in persona pauperis: quemadmodum lingua quam nemo tangit, clamat: calcas me: ita Christus caput nostrum quem nemo calcat et qui non esurit, dicit: pasce me. Distribuamus igitur Christo vestimenta nostra. Quid bona temporalia, nisi quaedam vestimenta? Vestibus exuimur somno ingruente, bonis privamur morte imminente, scilicet haec bona aut viventibus amittenda aut mortuis, possidenda a quibus nescimus, vel forte a quibus nolumus. Vestimenta sunt, quia ad *χρῆσιν* concessa, non ad *κτῆσιν*. Haec igitur distribuamus et offeramus egentibus. Manus pauperis et gazophylacium Christi, quicquid pauper accepit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, ut accipias caelum, da nummum, ut accipias regnum, da pauperi ut des tibi: quod pauperi dederis, tu habebis, quod pauperi non dederis, habebit alter. Deinde sternamus olivae ramos. Quid oliva denotat, nisi pacem et concordiam? Agnoscamus igitur Christum pacis autorem unicum, a facie enim illius olei computruit iugum nostrum. Christus sequester Dei et hominum ex utriusque partis deposito sibi commisso, carnis quoque depositum servat in semetipso. Persequamur et nos pacem, quae Deo hominem et homini Deum proximum facit. Beati namque *εἰρηνοποιοί*, filii Dei vocabuntur. Tertio adducamus asinum ad Christum. Hoc discipulorum facto vita nostra instruitur. Asinus est caro nostra et homo exterior, qui legum vinculis et poenarum verberibus ad Christum cogendus; corpus nostrum *ὑποπιάζειν* fas est; quamvis enim Spiritus quandoque sit promtus, tamen caro infirma. Qui carnem suam supra modum affligit, civem occidit; si plus quam expedit, alimentis reficit, hostem nutrit. Sic ergo nutrienda ut serviat, sic domanda, ut non superbiat. Quarto solum sequamur Christum. Oves namque ipsius alienum non agnoscunt. Canones, traditiones, patres, concilia, antiquitatem tantisper sequamur, dum Christi voce loquuntur; sin contra, tum non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendem putarit, sed quid prior Christus, qui ante omnes est, fecit. *Ἀρχεῖον αὐθεντικὸν ὁ σταυρὸς Χριστοῦ.* Quinto offeramus ipsi palmas victoriae signa. Ipse namque carnis trophaeo accinctus, captivam duxit captitivatem atque hoc pacto cessit victoria victrix; quod symbolum in insignibus ostentant

martyres atque una gladium sanguinolentum, multis palmis circum-datum et aureis coronis ornatum. Demum cantemus Hosianna et eructemus canticum novum de mirabili Dei misericordia. Nihil enim acceptius et laudabilius Deo offerre possumus quam quod ei gratiarum actiones referimus. Veni domine Jesu, ac ut te venientem digne recipiamus, perfice. Amen.

Dom. II Adventus.

Adveniet dies Domini sicut fur, in quo coeli magni im-petu transient, elementa vero calore solventur et terra et quae in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur haec omnia dissol-venda sint, quales oportebit nos esse in sanctis conversationibus? Utique ad iudicium hoc diligens et exacta requiritur prae-paratio. Quemadmodum enim mundi principium a solo Deo a quo factus est fuit praecognitum, sic finem eius solu Deus novit. Quidam Anno 1532 ex Epigraphe crucis Christi IesVs NazarenVs reX JUDaeorUM, iudicii tempus prae-finire voluit. Stiffelius insignis Mathematicus et Ecclesiaste ultimum mundi annum constituere voluit, sed graviter ei Saxonia Elector succensit et sane nisi Lutherus intercessisset, pessima ipsi pro hac praedictione relata fuisset gratia. Nostra memori quidam certissimis, ut sibi videbatur, argumentis persuasus ulti-mum mundi diem nominabat 3 Aprilis Anni 1599. Irenae sententia est, quod mundus totidem millenis annis consum debebat, quot diebus factus fuit. Picus Mirandulae comes i conclusionibus Annum 2004 Christo ad iudicium assigna Gregorius XIII autor novi Calendarii Anno 1582 editi i multa annorum millia extremum diem reiicit. Sed omnium d hac re calculantium digitos et numerandi peritiam resolvit e quiescere iubet, qui ait: Non est vestrum nosse tempora e dies. Quanta temeritas inquirere in ista, quae nec Angeli nec filio hominis, in statu scilicet humiliationis, nota erant absconditum est ab oculis nostris, an sero an media nocte, a gallicinio an mane venturus sit Dominus. Ex his omnibu colligimus, quod hora iudicii sit incognita, quod hora iudic

sit repentina, quod hora iudicii sit districta: utique igitur digna requiritur praeparatio. Adest primum vigilantia cordis scilicet, oculi somnum cupiant, cor autem vigilet ad Deum. Vigilet homo interior et alacris sit ad bonum, neque obdormiscat in peccatis et delitiis huius mundi. Praesentis temporis ita agenda est laetitia, ne amaritudo sequentis iudicii recedat a memoria Vigilemus in fide, nec secure stertamus, sed cum timore et tremore operemur salutem nostram. De peccatis praeteritis habemus quod doleamus, de futuro videmus nobis superesse quod timeamus: atque hac ratione semper melior vigilantia somno. Vigilemus ad preces indesinenter fundendas. Ideo adsit secundo loco in precibus perseverantia. Quemadmodum hosti murus opponitur et adversario ex adverso venient occurritur, ita Dei ira sanctorum precibus frangitur. Oremus igitur a praeteritis peccatis veniam, a praesentibus malis tutelam, a futuris periculis cautelam. Oremus Patris praesidium, Filii patrocinium, Spiritus Sancti solatium. Ceterum si vis volare ad Deum orationem tuam, fac illi duas alas: eleemosynam et ieiuneum. Crapulae enim faetor precum flagrantiam impedit, venter onustus hesternis vitiis animum quoque praegravat una, atque affigit humi divinae particulam aurae. Ideo ieiunemus semper. Perpetuum ieiunium est cibi potusve moderatio, ut corporis corrigamus valetudinem, non ut animae prosternamus virtutem. Ideo tertio loco requiritur Temperantia. Ante enim quam adveniet Dominus, homines erunt carnales et aedificabunt perinde ac si essent immortales, obsonabunt tanquam brevi morituri. Sicut in diebus Noe, ita erit adventus filii hominis. Comedent, bibent, nubent, nuptui tradent et videbitur pax et securitas. Sed dies Domini instar furis eos apprehendet et in puncto descendent ad infernum. Tu domine Jhesu ex peccatorum somno nos excitatos in fide et bona conscientia conserva usque ad finem. Amen.

Dom. III Adventus.

Beatus qui non scandalizatus fuerit super me. Ergone Domine Jhesu offendit quenquam tua persona? Num qui

venisti salvum facere quod perierat, lapis offensionis es incredulis? Vere dignum est, ut qui spiritualibus oculis tuam maiestatem et dignitatem introspicere noluerunt, offendantur exteriori specie et scandalizentur. Vere dignum est, ut qui ex miraculis divinitatem aestimare noluerunt, videntes passionem et mortem tuam te abnegent. Venit adhuc Christus in contemta Ecclesiae specie? Nonne Ecclesia parvulus grex est? Nonne uva post vindemiam relicta? nonne assimilatur buboni solitudinum et passeri solitario super tectum? In Ecclesia fatemur esse bonos et malos, sed tanquam grana et paleas. Beatus igitur qui hac Ecclesiae specie non scandalizatur. Impediri non debet aut fides aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in ecclesia cernamus ipsi de Ecclesia recedamus. Venit adhuc Christus in contemta specie pauperis. Manus pauperis thesaurus coeli. Dextra egentis thesaurus inexhausibilis. Beatus qui hic non scandalizatur. Utique si appareret dignitas pauperis interior, non tam graviter offenderet nos contemta species exterior. Quod pauper accipit, Christus acceptat. Qui non dat pro Christo temporalem substantiam, quomodo pro ipso daturus esset animam? Quoties igitur Christo pro acceptis beneficiis gratificari volueris, da pauperibus quos Christus loco visibilis suae praesentiae nobis reliquit. Da partem panis pauperi, pro quo vitam ponere semper paratus esse debes. Venit adhuc Christus in contemta specie. Quid enim iugum Christi quam crux et calamitas? Beatus qui hac Christi specie non scandalizatur. Venit ad te Christus cum auro et argento, cum sanitate, cum honorificentia, cum quiete a tentationibus intus et foris, recipis eum, laudas, gratias agis: dubium mihi est, an non munera Christi potius quam Christum diligas. Qui Christum diligit vel in eo sperat pro commodo temporali, tolle commodum, desperabit et oderit. Venit Christus incomitatus his omnibus, sed cum pauperie, aegritudine, tribulatione, si perstas in amore, si in gratiarum actione, modo opus amicitiae ostendis perfectum. Venit adhuc Christus in Verbo et Sacramentis. Beatus qui non scandalizatur. Beatus qui violentos raptus et inspirationes relinquit fanaticis, a Verbo et Sacramentis tamquam beatissimae matris Ecclesiae uberibus pendens. Verbum est Spiritus Sancti vehiculum, ubicunque

dicitur, in aliquo est Spiritus Sanctus, ibi per verbum adesse intelligitur. Incorporeus si esses, nuda et incorporea Deus tibi dedisset dona, sed quoniam anima inserta est corpori, intelligibilia praebet tibi in sensibilibus, in Verbo scilicet et Sacramentis. Sacramenta enim visibilia signa invisibilis gratiae. Beatus igitur qui super Christo non scandalizatur.

Dom. IV Adventus.

Baptismus.

Naaman Syrus tingebatur in Jordane septies. Nonne ut omnia scripta sunt ad doctrinam et consolationem nostram, ita quoque praesens sanatae leprae miraculum. Jordanis ablutio Baptismi lavacrum est, quia trans Jordanem hoc salutis nostrae sacramentum primitus administratum. Autor illius ablutionis erat Elisaeus Propheta: sed plus quam Elisaeus est hoc loco: Joannes enim primus huius Ceremoniae administrator praecessit Christum in spiritu et virtute Eliae. Illic purgabatur lepra corporalis, hic vero spiritualis, videlicet peccatum nostrum, cuius mors est baptismus, ut alia sequatur nativitas, quae manente corporis compagine hominem innovet mente. Baptismus peccati diluvium est. Discamus igitur reverenter cogitare et magna sentire de Baptismo nostro, quia revera Deus magna in illo nobis confert. Septies illic tingebatur leprosus, nobis vero sufficit unicus Baptismus in aqua, quia saepius iterandus in Spiritu, quia Baptismus est Ecclesiae ianua, in quam simul intrasse sufficit. Baptismus est regenerationis lavacrum. Signaculum iustitiae Abraham semel suscepit in corpore, iustitiam per totum vitae cursum exercuit in mente: lavacrum igitur aquae semel suscipiatur, regeneratio lavari sacramento obsignata et donata grata recordatione saepius iteretur.

Naamani extra Ecclesiae pomoeria nato leprae sanatio conferebatur, nec tamen quisquam Judaeus hoc beneficio legitur affectus; pari omnino ratione miseros ethnicos procul a gloria Israelis distantes hoc sacro lavacro et sua gratia dignatus est Christus. Caeterum Ioannes testatur, se aqua baptizare, Christum vero in Spiritu Sancto et igni. Ministri Ecclesiae ἔξωθεν

visibilia dispensant sacramenta, ut ἔσωθεν coelestia dona dispenset Christus: plantat Paulus, rigat Apollo, incrementum dat Christus. Tu Jesu Christe aperi cor nostrum, ne verbum revertatur ad te vacuum.

In festo natalis Domini.

Verbum caro factum est.

Descendet sicut pluvia in vellus, sicut imbres stillant super terram. Prophetia haec est de Messia nostro ex Davidis stirpe oriundo. Gideoni accidit in typo et significante Mysterio, quod in natali Salvatoris nostri gestum est in rei veritate et complemento. Hodie namque verus ros ex coelesti utero ante Luciferum genitus. In virginalem descendit uterum et carnem nostram mirando sibi foedere copulavit. Hodie stillarunt imbres coelestis gratiae super universam terram, postquam Dei filius fragilitatis humanae particeps factus est. Sic igitur aridum erat vellus, ros autem super omnem terrae faciem. Quis vero dignis celebrabit eloquiis illud mirabiliter singulare et singulariter mirabile? Quod *ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.* Quis ille *ὁ λόγος* nisi unigenitus Dei filius, *λόγος ἐνυπόστατος*? Filius enim est, qui est in sinu patris ipse enarravit nobis. *Λόγος* denique est, quia per ipsum omnia facta. Deus enim noster dixit et omnia facta sunt. Uerbo Domini firmati sunt coeli. *Λόγος* est quia per ipsum innotescit Pater et quia principatus illi debetur, sicut in homine rationi. Hoc hypostaticum et personale verbum caro factum est *οὐ δοκήσει, οὐ φαντασίᾳ, ἀλλὰ ἀληθείᾳ, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀναλλιώτως, ἀδιαιρέτως, ἀδιαστάτως*, ut loquuntur Graeci orthodoxi Theologi. Credimus ergo unum eundemque Dei filium et hominis filium, non duos profitemur. Verbum intra virginei uteri secreta incarnatum, ut tamen Verbi Natura non mutaretur in carnem: carnis natura ita in Verbi personam assumta, ut tamen non fuerit consumta. Verbum igitur factum est caro, non caro solum, sed caro humana; assumsit non solum corpus*), sed totum hominem, quia caro totum significat quando-

*) Quod voluit Apollinaris.

que hominem. *Τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον.* Augustinus loquitur: Quod non assumtum non est sanatum. Totum totus asumsit me, totus toti unitus, ut toti salutem largiretur. Quid igitur haec mirabilis duarum Naturarum in Christo unio, nisi quaedam medicina? Incarnatio filii est generatio medicamenti. Caeterum gravem agnoscimus morbum, cui tanta apponitur medicina. Deplorata res erat, nisi maiestas ipša Dei ad nos descenderet, quia ascendere nostrum non esset. Offensum erat bonum infinitum, infinitum igitur requirebatur *λυτρωσις*. Amissum erat infinitum bonum, ideo infinita miseris restabat poena. Per hominem reconciliatio fieri debebat, quia homo peccaverat; per hominem reconciliatio fieri non poterat, quia homo peccaverat. Peccati reatum homo tollere debebat, peccati reatus nudum hominem impediebat, quominus tollere poterat. Per Angelum reconciliatio fieri non poterat, quia Angelus creatura est; nulla autem creatura potuit pro infinita offensa peccati aequivalens et infinitae efficaciae pretium persolvere. Factus igitur Deus homo, ut homo solveret, quod homo debebat, et Deus solveret, quod homo solvere non poterat. Deinde sanabilem agnoscimus morbum, cui tanta apponitur medicina. Frustra enim insumere preciosissimas species medicus sapiens, imo sapientia ipsa, si curatio foret impossibilis. Christus a nobis arrhabonem carnis accepit et arrhabonem Spiritus nobis reliquit. Securi estote caro et sanguis, usurpatis et coelum et regnum Dei in Christo. Frater et caro nostra est, spernere nos non poterit, os de ossibus nostris et caro de carne nostra. Ubi caro mea regnat, ibi me regnare credo, ubi sanguis meus dominatur, ibi me gloriosum esse cognosco. Glorietur igitur et exultet semen Abrahae, quia Deus non Angelos, sed semen Abrahae assumsit. Glorietur et exultet caro nostra, quia Verbum caro factum est

---

Festo Circumcisionis Jhesus.

Servus Moysis filius Nun qui in promissam regionem populum deduxit Israeliticum, Iosue dictus est, ipso scilicet nomine

officium repraesentans. Sic puerulus ille nobis datus et nobis natus, ut populum suum a peccatis ipsius salvaret et coelestis haereditatis participes faceret, salutari et salvifico nomine JESUS appellatus est. Appellatus scilicet a coelesti nuntio, non humanae voluntatis arbitrio: appellatus aeterni patris voluntate, non autem creaturae cuiusdam libertate. Salvator est, igitur salvabit nos a peccatis. Quamvis igitur merito contristemur ob peccata nostra, quae Deus videt, Deus odit, Deus punit, ut pia dicebat antiquitas: est excelsus gloriosus, qui iudicat, sunt coeli, qui arguunt, elementa, quae saeviunt, et superest in posterum cruciatus gehennae.

Sufficit nobis ad omnem iustitiam, solum habere propitium, cui soli peccavimus, omne quod ipse imputare non decreverit, sic est quasi non fuerit. Quod si enim Jesus salvat, quis est, qui condemnet? Quod si Jesus salvat, voluntati Domini quis resistat? Jesus est qui sanat, quis est qui vulneret? filius Dei est qui exaltat, quis est qui deprimat? Verus salvator est, ideo veros etiam requirit peccatores sed poenitentes et ad viam Domini revertentes. Quod si peccata nos prohibent, tamen naturae communio non repellit. Maximus Jesus est, igitur a maledictione legis nos liberabit. Officium legis est non exigere nostra opera, sed peccatum ostendere et impossibilitatem nostram. Per legem peccati cognitio, per fidem autem in Christum peccati abolitio. Voluntas ostenditur infirma per legem, ut sanet gratia voluntatem et sana voluntas impleat legem, non constituta sub lege, sed indigens lege. Constituti igitur omnes sumus sub maledictione legis, sed benedicti sumus in Christo, benedicto Abrahae semine, dilecti in dilecto. Jesus est, igitur ab ira et aeterna morte nos liberabit. Diligitur enim a Deo homo, quomodo non diligeretur, propter quem unigenitus ex sinu patris demittitur. Si ut reconciliaret nos sibi Deus, filium suum morti tradidit, quanto magis reconciliatos salvos faceret in vita ipsius. Quam igitur dulce et salutare est nomen Jesus! O Domine Jesu propter nomen tuum sis mihi Jesus, ne permittas, me damnari, quem ex nihilo creasti, ne permittas me damnari, quem precioso tuo sanguine redemisti.

Festo Epiphanias.

Gentium primitiae.

Dilatet Deus Japheth et habitet in tabernaculis Sem. Gen. IX, 27. Haec de gentium vocatione, earundemque in Dei populum cooptatione, benedicti patris Noah prophetia. Unde primitias huius vocationis Magos sc. ex Oriente, ad Christi cunas stella deduxit. Quid fuit illa stella nisi mirifica coeli lingua quae enarraret Dei gloriam? Ea tamen Christo praebuit obsequium, non imperium. Non enim propterea Christus natus est, quia stella exstitit, sed illa propterea exstitit, quia Christus natus est. Quam igitur mirabilia Dei iudicia: tacentibus de Christo hominibus, coelum de eo concionatur. Qui procul erant dissiti Christum sequuntur; inter quos natus erat eum persequuntur, fugit ad Christum gentium copia, fugat et repellit eum Iudaeorum violentia. Quaeris quomodo ex stella natum Messiam cognoverint? Profecto, qui Magos adduxit, ipse et instruit, qui per stellam foris movit, ipse in occulto corda edocuit. Stella igitur duce venerunt, nec coram Domino vacui apparere voluerunt. Dum enim colunt unum, meminere trino tres dare terna, atque sic in tribus muneribus divina Trinitas, in auri munere regia dignitas, in thuris vapore divina maiestas, in myrrhae specie sepelienda monstrabatur humanitas. Offeramus et nos in auro doctrinae puritatem, mundanorum contemtum et erga pauperes liberalitatem, in thure ardentem precationem, in myrrhae specie afflictionis tolerantiam.

Dom. II post Epiphanias.

Christus sponsus.

Desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo te mihi inquam in iustitia et iudicio et misericordia et miserationibus et deponsabo te mihi in fide et cognosces Iehovam. Haec est dulcissima vox sponsi nostri, qui praesentibus interesse nuptiis dignatus est, non solum ut matrimonialem statum sua praesentia approbaret, sed etiam quia ad nuptias in mundum

venerat. Hoc spirituale Christi et fidelis animae coniugium celebratur in Cana aemulatione. Est aemulatio puniens et est aemulatio parcens, quia Zelus Domini Sabaoth (utique Zelus misericordiae) stabilit regnum Davidis. Haec igitur misericordia mundat nos lavacro regenerationis, ut digni reddamur qui ad nuptias Agni veniamus. Haec praevenit, ut sanemur, subsequitur, ut glorificemur, praevenit, ut pie vivamus, subsequitur, ut cum illo semper vivamus, quia sine illo nihil facere possumus. Sed enim praeterquam quod sponsus animae Christus adest, etiam mater Jesu invitatur. Quae illa est Christi mater nisi sancta Ecclesia. Virgo quidem est sed simul mater: Cuius integritati consulimus, si virgo non est, aut cuius prolem alloquimur, si mater non est. Hanc qui non agnoscit matrem in terris, non habebit patrem in coelis. Quisquis ab Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quia a Christi unitate seiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Adsunt etiam discipuli fideles scilicet Dei *σύνεργοι*, qui desponsant nos uni viro Jesu Christo. Sed in ipso spiritualis coniugii gaudio deficit vinum: verbum enim Dei est verbum lucis et crucis, per multas praesentis vitae tribulationes, ad futurae vitae quietem patet aditus.

Suscipiamus igitur *πνευματικὰς μαργαρίτας*, quia Christus aquam tribulationis mutabit tandem in vinum dulcissimae consolationis, quod hic est tormentum, illic erit ornamentum, ut ita pro Christo quidquam pati quovis solatio iucundius.

Dom. III post Epiphanias.

Domine si vis, potes me mundare.

En vero idaeam verae et efficacis precationis apprime notandam: difficilius enim orare quam arare, nec quicquam maioris esse operae, in eremo didicerat Agathon Anachoreta. Nimirum nescimus omnes quid petamus, tutissimum igitur cum Deo loqui lingua divina, scripturae scilicet verbis: sic futurum ut agnoscat pater verba filii sui Christi, ipse namque pectoris paterni abyssum novit, ipse eam in verbo revelavit. In hac vero formula

notetur: Vera Dei cognitio. Christus Dominus genitus est et factus, Dominus est iure haereditatis, Dominus est iure passionis. Quamvis enim gloria carni data humanitatem non tollat, tamen extollit, quamvis non interficiat, tamen perficit. Ita ut utriusque Naturae ratione Dominus sit una adoratione colendus. Per hunc habemus accessum ad patrem ac in hoc dilecto etiam nos dilecti sumus. Deinde omnipotentiae praedicatio. Potes inquit. Quid enim non potuit, in quo omnis omnium potentia? Ille sua potentia numeros creaturis dedit, non ipsam potentiam suam creaturis alligavit. Ideo nihil est, quod Deus efficere non possit et quidem sine labore ullo. *Ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.* Vereamur igitur infinitam Dei potentiam, finito ingenii nostri vasculo includere. Vereamur interminatam Dei essentiam limitibus huius mundani tugurioli terminare: ipsi namque nihil impossibile, nisi quod non vult. Tertium, propriae indigentiae confessio. Mundari petit, morbum igitur agnoscit. Nimirum si opera medicantis expectas oportet ut vulnus detegas. Qui non confessus latet, inconfessus damnabitur. Qui desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quid igitur erubescimus fateri peccata coram homine, cum futura sint aliquando Deo et omni hominum gratulationi obvia? Quartum: sapientiae divinae professio. Si vis inquit. Nimirum medicus melius novit, quod sit utile, quam aegrotus. Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis, permittent ipsis expendere Numinibus, quid conveniat nobis rebusque sit utile nostris; carior est illis homo quam sibi. Quod de vero Deo nos rectius asserimus, qui saepe non audit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem. Quintum demum fidei applicatio: haec enim virtutis est attractivae. Haec Christum et cor nostrum ita copulat, ut bona sint communia.

Dom. IV post Epiphanias.

Tota Christiani vita periculosa quaedam navigatio, non enim habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus. Prima igitur nostra cura sit, ut Christum nauclerum nobis asso-

ciemus, quo praesente dulcescunt, quo absente amarescunt omnia. Hic enim via est, veritas et vita. Quod si igitur non vis errare, via est, si non vis decipi, veritas, si non vis mori, vita. Via est in merito et exemplo, veritas in promisso, vita im praemio. Quia igitur via est, in erraticas non ducet, quia nostra veritas, non illudet nobis per falsa, quia vita nostra, non relinquet nos in morte aeterna. Sequamur autem in navigatione cynosuram verbi divini. Credendum enim plus est scripturis quam omnibus creaturis. Plus valet iotae in scripturis sententia, quam totius mundi libri. Expandamus etiam fidei velum et plena animi *παῤῥησίᾳ* vocationis cursum absolvamus ad laetissimum aeternae vitae portum properantes, ad quem citius quidam, tardius alii perveluntur. Sirenum quoque voces declinandae, contemnenda in quibus ambitiosus honos et opes et foeda voluptas. Quae tria pro trino Numine mundus amat. Non adiuvant immensae opes, sed magis tardant, ut navem ingentia onera. Ac difficile imo impossibile nobis videtur, ut praesentibus et futuris quis fruatur bonis, ut ventrem hic et illic mentem impleat, ut de delitiis ad delitias transeat. Sunt igitur terrena in usu, coelestia in desiderio. Utere mundo, sed non te capiat mundus. Quod si tentationum si persecutionum impendent scopuli, anchoram SPEI arripiamus, frustra enim nitimur, si non innitimur. Si vero innitimur, omnia erunt possibilia super eum innitentes qui potest omnia. Spes ergo salutis anchora: quanto minus in arenulis fragilibus et fluidis humani auxilii figitur, tanto solidius et certius super firmam petram quae Christus est, defixa stabilitur. Perficiamus autem navigationis cursum remis fidelis orationis, alias movebimus, sed non promovebimus. Monstra maris tyrannos puta; haereticos et falsos fratres fugabit, coortam item tempestatum nubeculam serenabit Christus fideli et puro colloquio e somno excitatus. Sedulo quoque prospiciendum, ne Ultima nos perdant, imoque sub aequore mergat incolumem toties ima procella ratem. Sola enim perseverantia coronabitur.

Dom. V post Epiphanias.

Speculum hic est gloriae illius, quae carni Christi in penitissima et arctissima illa unione cum *Λόγῳ* communicata, post

ascensionem revelata. Sublimatus est Christus ad aequalitatem paternae maiestatis in excelsis id est potioribus bonis patris, adeo ut adorent eum, id est Christum hominem secundum humanitatem passum et mortuum omnes angeli. Huius suae gloriae futuro tempore revelandae primitias quasdam discipulis ostendere voluit, ut in hoc mundo decertantes praemii confirmaret amplitudo. Neque enim huius vitae passiones condignae sunt illa gloria, quae erit electorum in altera vita; ideo consideratio praemii minuit vim flagelli. Facta autem haec manifestatio in monte, quia animam terrenis agglutinatam coelestis non intrat sapientia. Elevemur igitur mentibus et quae sursum sunt quaeramus. Qui enim aeterna non quaerunt, bona caduca cum tempore amittunt. Illam vitam debemus amplexari, ubi vita sine morte, ubi iuventus sine senectute, ubi gaudium sine tristitia, ubi regnum sine commutatione. Ascendamus igitur per desiderium; non enim sumus mundi incolae, sed advenae. Splendit autem facies Domini sicut Sol, nimirum divinitas ex corpore refulgebant radii et lux divinitatis inaccessibilis oculis se ingerebat humanis.

Quanta igitur erit carnis Christi gloria in manifestatione, cum talis fuerit in dispensatione? Ad omnes sanctos calor aliquis *λόγου* putandus est pervenisse, in Christi autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad caeteros calor venerit. Speculum et hic est nostrae transformationis, futurum enim aliquando, ut Christus corpus nostrum humile simile reddat corpori suo glorioso. Nec tamen haec erit similitudo ut nihil destet, quia similes erimus in corporis gloria, non in divinitatis natura. Erit quidem maior quorundam sanctorum claritas, sed sine aliorum invidia. Sic enim habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius. Ad hanc beatorum gloriam perducat nos idem, qui suis meritis eam nobis promeruit IHS *XPΣ* benedictus in secula, in cuius nomine ut hoc Homiliarum exercitium incepimus, ita etiam finimus.

Lippert & Co. (G. Pätz'sche Buchdr.), Naumburg a. S.

BV 4830 G4 H8	Gerhardi ... Homiliae XXXVI 284044
APR 1 '42 MAY 13 '42	H. G. Bensch??d Desk 10
	2- 10085

Handbuch der Kirchengeschichte

für höhere Unterrichtsanstalten,

sowie die gebildete evangelische Gemeinde

in übersichtlicher, anschaulicher, leicht fasslicher Darstellung

von

Lic. Dr. Paul Victor Schmidt,

Archidiakonus in Dresden, früher Seminar-Oberlehrer.

Zweite verbesserte Auflage.

Broschiert M. 2.50, gebunden M. 3.—.

Recensionen.

Seinem Zwecke als Leitfaden für den kirchengeschichtlichen Unterricht an höheren Lehranstalten (wie Gymnasien, Lehrerseminarien etc.) zu dienen entspricht dieses Buch auf allseitig befriedigende Weise. Die religiös-pädagogische Haltung vereinigt christliche Lebenswärme und Weitherzigkeit mit konfessioneller Festigkeit. In der Auswahl und Gruppierung seines Materials hat der Verfasser gesunden Takt bethätigt, und für seine Darstellungsform darf er die Prädikate der Uebersichtlichkeit, Anschaulichkeit und Leichtfasslichkeit mit gutem Grunde in Anspruch nehmen.
(Evang. Kirchen-Zeitung 1893. Nr. 24.)

Dies Handbuch hat seine eigentümlichen Vorzüge: Uebersichtlichkeit, Anschaulichkeit, Fasslichkeit der Darstellung, Reichhaltigkeit bei aller Knappheit des Umfangs, Wärme und Begeisterung für die evangelische Wahrheit bei aller Objektivität des Urteils. Es wird nicht bloss in höheren Unterrichtsanstalten mit Nutzen gebraucht und von gebildeten Gliedern der Gemeinde gern gelesen werden, sondern kann selbst dem Geistlichen im Amte zu Predigt und Konfirmandenunterricht oder zu Vorträgen eine willkommene Hilfe sein. („Pfarrhaus" 1893. Nr. 6.)

Das uns vorliegende Werk ist in seiner Neubearbeitung das beste, welches wir in seiner Art kennen. Der Verfasser, in den siebziger Jahren Seminarlehrer, hat das Buch aus der Praxis für die Praxis geschrieben. Wir behaupten nicht zuviel, wenn wir das Buch für ebenso an Gymnasien, Realgymnasien, Realschulen wie an Lehrerbildungsanstalten geeignet rühmen. Der Stoff ist trotz seiner Reichhaltigkeit doch nicht drückend, trotz seiner Kürze doch nicht lückenhaft. Aller unnötige Verbalismus, alle trockenen Namen und Zahlen sind vermieden. Die Schüler erhalten ein lebensvolles Bild, eine Darstellung mit Fleisch und Blut von dem Werdegang der Kirche bis zum laufenden Jahre. Was für die Entwickelung der Kirche von besonderer Bedeutung war, das ist auch äusserlich besonders hervorgehoben; was unbedeutend war, ist kurz und beiläufig behandelt. Lehren und Lernen ist auf diese Weise nach Schmidts Kirchengeschichte erheblich erleichtert. Dabei ist die stilistische Darbietung des Stoffes mustergiltig.

In zweiter Linie will das vorliegende Buch ein belehrendes Lesebuch für die Gemeinde sein.

Jeder Ernstgesinnte kann in den Fluten der Meinungen, die in unsern Tagen auch unser kirchliches Leben bewegen und zum Teil schon gefährden, nicht gleichgiltig bleiben. Wir wissen es darum dem Verfasser besonders Dank, dass er — nunmehr schon seit Jahren im geistlichen Amte stehend und „der Hörer Bedürfnis" kennend — in seinem Buche der gebildeten Gemeinde ein Werk in die Hand giebt zur Belehrung und zur Erbauung, zur Befestigung ihrer kirchlichen Grundsätze und damit zur Stärkung und Unterhaltung unseres kirchlichen Lebens und Bewusstseins, das gerade der evangelischen Kirche not thut.

Für Schule und Haus sei darum dies treffliche Lesebuch der Kirchengeschichte aufs Wärmste empfohlen. (Litteraturblatt d. deutschen Lehrerzeitung.)

Lippert & Co. (G. Pätz'sche Buchdr.), Naumburg a/S.